

dicam, aut missa non erit quam symoniacus celebrabit, sacrata ecclesia non erit, quam symoniacus sacrabit, cum sacros ordines non habeat, quia nichil ab ordinante accepit, aut missa erit, quam laicus celebrabit, sacrata ecclesia erit, quam laicus sacrabit, qui item nullos ordines habet, quia non accepit. De similibus enim idem iudicium.

12 In libro Numeri sic legitur¹: Chore et multitudo que cum illo erat temerario ausu posuerunt incensum et thimiama coram domino *et ignis egressus a domino interfecit ducentos quinquaginta viros, qui offerebant incensum* coram domino. Debitam igitur isti exceperunt temeritatis^a sue vindictam, quia non acceperunt officium a domino, ut adolerent incensum atque thimiama coram domino neque pro sacrificio sacrificium hoc habitum est a domino. Item in libro Regum legimus, quod David et universus populus Israel ducebant archam Dei. *Oza inquit² et Aio filii Aminadab minabant plaustrum novum. Postquam autem venerunt ad aream Nachor, extendit manum Oza ad archam Dei et tenuit eam, quoniam calcitraverunt boves et declinaverant eam. Iratusque est dominus indignatione contra Ozam et percussit eum dominus super temeritate; qui mortuus est ibi iuxta archam Dei.* Nichil ergo huic contulit accedere ad archam Dei, qui mortuus est iuxta archam Dei. Officium eis impositum erat minare^b plaustrum; iusta fortasse videbatur occasio et vicina necessitati ratio. Calcitraverunt boves, inclinaverunt archam: extimuit Oza pro archa Dei et extendit manum ad archam Dei, et tamen percussit eum dominus super temeritate et mortuus est ibi, quia officium illi impositum non erat extendere manum ad archam Dei. Lignea erat archa et quamvis sancta, tamen lignea. In archa erat manna, tabule testamenti et virga Aaron que fronderat. Et quantum distat inter hec sancta et sancta sanctorum corporis et sanguinis Christi ministeria? Illa iccirco erant sancta, quia horum sacrorum erant umbra et figura, hec ipsius sanctimoniae sunt veritas et causa. Si ergo percussit dominus Oza super temeritate sua, non quidem prius excogitata atque deliberata, set ad tempus fortuito^c casu illata, qua pena percucietur, qui deliberatione continua fur et malitiosus cotidie extendit manum ad illa terrifica sacri altaris misteria? Non obtinuit

^a) temeritatis^b) minari^c) fortitudo¹) Num. 16, 5. 16 ff. 35.²) 2. Reg. 6, 3. 6—7.